

h. l. idem valere ac **לְעֵד** Super. Vel eadem est locutio, qualis illa Latinorum: *canere ad tibiam*. Luth. Von den Span. Rosen. prius: von den Rosen hochzusingen. *Muis* vocem hanc musicam hodie censet ignotam.

**לְעֵד** *testimonium vel memoriale*: ) etiam de hac voce dictum Psalm. LX. Qui ornementum reddunt, ( ut Luth. Kleinod) referunt hanc vocem non ad radicem **שָׁרֶד**, sed **עַרְבָּה** *ornavit*.

**לְאַסְפִּי** (*Assaphi*): ejusdem autoris facta etiam mentio Psalm. L, 1.

### EXPLICATIO VERSUS II.

**רְאֵת** *pastor Iesu*: ) h.e. ô Deus benignissime, qui instar pastoris providi sollicitudine ingenti prospexit haec tenus tuis Israelitis, tanquam ovi bus inermibus, stolidis, ac sine tua ope ac gubernatione nihil prorsus valentibus, tum de alimentis, tum de munimentis adversus hostes invadentes, imò de cunctis necessariis. Idem hic titulus metaphoricus tribuitur DEo Psal. XXIII, 1. LXXVII, 21. LXXVIII, 52. Jerem. XXXI, 10. Ezech. XXXIV, 12. 13. 15. Zachar. IX, 16. Jes. XL, n. Job. X, n. 1. Petr. II, 25.

**אָזְכָּר** *ausculta*: ) videlicet partim blasphemas hostium acerbè insultantium, partim querulas populi tui supplicantis, opemque tuam implorantis, voces; audi promte, clementer, efficaciter, ita ut auditionem comitetur ex auditio &c.

**הַנְּגָן** *ducens*: ) leniter scil. ac circumspetè, ad instar pastoris, gregem tenerum pro ratione virium agentis, Gen. XXXIII, 13. vide de verbō hoc Ps. XLVIII, 15. Includitur autem eodem tota ecclesiæ gubernatio, tum quoad regimen politicum, tum præcipue ecclesiasticum, quo DEus vias, per quas eundum, ostendebat, pascua (vel necessaria corporis animæque pabula) suppeditabat, &c.

**אֲנָשָׁן** *quasi gregem*: ) vide Psalm. LXXIX, 13. LXXVIII, 52. & LXXVII. vers. ult.

**JOSEPHUM**: ) h.e. universos tum *Josephi*, tum parentis *Israëlis* posteros: ob dignitatem enim, quodammodo regiam *Josephi* in Egyptō, & ob ingentia ejusdem beneficia in fratres reliquos Israëlitas, ( quos solus ipse sustentabat in fame &c.) item ob jus primogeniturae in ipsum maximum partem translatum, nonnunquam *Joseph* protot̄a Israëlis posteritate collocatur, uti vide re est Psal. CXXXI, 6. Obad. vers. 18. & Zach. XII, 6. Atque sic de totō *Iesu*, etiam *Vinar*, *Hopfn.* *Muis*, *Tirin*, *Belge*. confer Psalm. LXXVII, 16. Quandoque etiam ponitur pro decem tribubus seu regnō Samariticō, quod à Davidicā posteritate, vel à tribu Judā, defecerat, Ezech. XXXVII, 16. 19. Amos. V, 6. 15. VI, 6. Zachar. X, 15. in eo enim regnō *Josephi* posteritas, i.e. tribus Ephraim & Manasse, tanquam numerosissima ac præstantissima eminebant, 1. Paral. VI, 1. Si posteriori modō sumatur in hoc textu, posset per *Israëlem*, cuius præcessit mentio, intelligi regnum Judæi seu Davidicum. Atque sic nonnulli Psalmum hunc accipiunt de oratione decem tribuum, in captivitatem Assyriacam abductarum; sicuti ex eorundem sententiā Psalm. LXIX. competit Judæis, in captivitate Babylonicā degentibus. Sed simplicissimum videtur, accommodare hoc illum ebraicum, quō voci communi vel generaliori subjungitur illud, quod in istō genere præ-

A reliquis eminet, v.g. *inspicite terram istam* & (potissimum) *Jericho*, *Jos. II, 1.* *Epbraim* & *Samaria*, *Hos. VII, 1.* *Juda* & *Jerusalem*, *Joel. IV, 1.* *Psalm. XXIX, 8.* commovet desertum, desertum Kadesch: *Psal. XVIII, 1.* è manu omnium inimicorum & è manu Saul. *Psalm. LXXIV, 16.* *parasti luminaria* & *Solem* &c.

**בְּשִׁבְעָה** *sedens vel sessor Cherubinorum*: ) i.e. qui præsentem te exhibes super arca fœderis, instar regis cuiusdam tali insidentis folio, cuius latera sunt bina *Cherubinorum* capita, sedile autem alæ unius & alterum expansæ, & mutuo complicata, scabellum denique operculum arcæ. Isdem vero binis angelorum imaginibus representabatur, ex plerorumque sententiā, tum obsequium angelicum, quo Mesia subiecti sunt, tum defensio ac munimentum ecclesiæ, quam veluti obumbrant, &c. de quibus *Cherubinis* legere licet Exod. XXV, 8. 18. seq. Num. VII, 89. (è quorum medio loquebatur) 1. Reg VIII, 6. 7. 1. Paral. XXVIII, 18. Ebr. IX, 5. De phrasι autem *insidere Cherubinis*, vide 1. Sam. IV, 4. 2. Sam. VI, 2. 2. Reg. XIX, 15. 1. Paral. XIII, 6. Psalm. XCIX, 1. Jes. XXXVII, 16. vide & supra Psalm. XVIII, 11. ubi de DEō dicitur

B **בְּרֹכֶב עַל** *& יְוָרְכָב עַל* *equitavit vel ferebatur super Cherubino*, h.e. insidebat veluti currui alato, ad indicandum celerem ipsius gloriosumque adventum; &c. Posset etiam vox **בְּשִׁבְעָה** generatim accipi pro *Manente* vel commorante ad arcam, quatenus DEus exinde dare solebat responsa. Plura de *Cherubinis* his propitiatorii qui vult, adeat Pinto l. 1. Christ. cruc. tit. 1. loc. 7. & Genebr. h.l. it. Dorsch. d. 14. pentad. th. 14. seqq.

**חַוְפִּיעָה** *splende*: ) vel splendidè te manifesta, opem scil. illustrem forendo, eademque nos, in tenebris conclusos ac trementes, exhilarando. vide de verbo hoc Psalm. L, 2. DEus **רוֹפִיעָה** & *Psal. XCIV, 1.* DEus ultionem **חוֹפִיעָה** illucesce. Unde promptum est colligere, nimis angustè ac paulò subtilius hoc ipsum restringi ad splendorem gemmarum in pectorali summi sacerdotis, quod, ex aliquorum sententiā, indicabatur Dei favor, sicut earundem obscuritate DEi indignationem autumant significatam; cum potius illustris exprimatū divini favoris demonstratio, omnium oculos mentesque perstringens.

### EXPLICATIO VERSUS III.

C **לְפָנֵי** *coram Ephraim, Benjamin & Manasse*: ) h.e. in gratiam & in conspectu eorum, quorum majores Jacobo, stirpi nostræ, erant dilectissimi; siquidem *Benjamin* & *Joseph* (cujus bini filii erant *Manasse* atque *Ephraim*,) præ reliquis unicè fere deambabant filiis, Genes. XLII, 36. 38. Hinc etiam hæ tres tribūs, *Ephraim*, *Manasse* & *Benjamin*, eandem occupabant plagam occidentalem ponè arcam fœderis in castris, Num. II, 18. seq. X, 21. seq. Quorsum in Scholis etiam marginalibus respexit Lutherus: B. Höpfner. qui coram Ephr. &c. scil. eras in deserto. Sed supplemento opus non est, ob præsentiam verbi **שָׁרֶד** Pisc. *Ephraim* & *Manasse* accipit pro decem tribubus, in Assyriam abductis, & Benjaminum pro regnō Judæicō, captivitatem passō Babylonicam. Sic etiam ferè *Genebrardus*; nisi quod per *Manasse* Gileaditas velit designatos.

**וּרְרָה** *excita potentiam tuam*: ) i.e. post diuturnam adeo ejusdem, tanquam dormientis, retentionem, alacrem rufus vigilemque ipsam nobis